

na, Acta decessoris sui Stephani Septimi, contra *Formosum* rescidit, scilicet quatuor dumtaxat menses, & obiit anno dcccxcviii. non vero, ut ait Baronijs, anno nongentesimo primo. Romano in Sede Pontificia successit *Theodorus* hujus nominis *Secundus*, patria Romanus, qui dies tantum viginti Pontificatum tenuit. *Formosus* memoriam vindicavit, & Acta restituit, atque eodem anno dcccxcviii. e vivis excessit. In *Theodori* Papæ locum subrogatus est *Joannes IX.* patria Tiburtinus, qui circa medium Julium an. dcccxcviii. Pontifex Romanus consecratus est juxta accuratorem Clarissimi Pagii calculum. Acta Pseudo-Synodi Romanæ a *Stephano Septimo* habitæ contra *Formosum* infirmavit, ac nulla esse declaravit *Joannes IX.* Tria etiam Concilia, teste *Floardo*, convocavit, ex quibus duo tantum nunc supersunt, Romanum scilicet, & *Ravennatense*, de quibus in quarto Colloquio opportunior differendi se se dabit occasio. Demum, *Joannes IX.* postquam sedisset annos duos, & dies quindecim, ut in varijs Catalogis legitur, vita functus est, circa initium mensis Augusti anni nongentesimi, ut videre est apud citatum *Pagium* in sua Critica Baronijs ad hunc annum, ubi diserte ostendit, corrigendum esse Baronijs, qui mortem *Joannis IX.* consignat anno nongentesimo quinto, eique annos tres, & dies quindecim Pontificatus assignat. Sed hætenus satis de Pontificibus, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedem Romanam tenuerunt.

D. Seriem Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam occuparunt, scire profecto non moror, quia illis Ecclesijs, sicut in præcedentibus Colloquijs ostendisti, jam a septimo sæculo Saracenorum tyrannide oppressis, præfuerunt Hæretici, præsertim *Jacobine*, quorum Catalogum, prætermittis omnino Patriarchis Orthodoxis, descriptum dumtaxat habemus a quibusdam Scriptoribus Arabibus, quos mihi olim indicasti, Eurychiana hæresi infectis. Missis ergo illis Pseudo-Episcopis, qui sub Saracenorum tyrannide Sedes Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam tenuerunt, seriem Episcoporum, qui nono sæculo Ecclesiam Constantinopolitanam rexerunt, perdiscere cupio.

M. Seriem Episcoporum Ecclesiæ Constantinopolitanæ perduximus in superioribus nostris Colloquijs, usque ad *Tarasium* Patriarcham sanctissimum, & egregium sacrarum Imaginum defensorem, qui postquam Ecclesiam Constantinopolitanam rexisset annos viginti duos, obiit anno dcccvi. In locum demortui *Tarasii* successit *Nicephorus*, qui a pueritia ingenuis studiis deditus fuit, Grammaticis scilicet, Poeticis, Rhetoricis, Mathematicis, aliisque Philosophicis disciplinis, cum quibus etiam rerum Theologicarum scientiam copulavit. Ad ætatem virilem postea provectus, vitam Aulicam aliquandiu persegit, quam paulo post multis molestiarum, & vanitatum generibus obnoxiam expertus, deposito Secretarii munere, quo apud Imperatricem *Irenem*, ejusque filium *Constantinum* defungebatur, vitam

solitariam, in Monasterio a se constituto amplexus est, ex quo tamen ægre avulsus ad thronum Constantinopolitanum inivitus fuit sublimatus, sicut ipsemet testatur in Epistola ad *Leonem tertium* Romanum Pontificem, his verbis: *ad hanc Episcopalem Sedem inivitus multumque reclamans (testis est mihi Deus) provectus, & tyrannide potius quam consilio, aut ulla omnino persuasione alijs gubernandis præfectus sum.* Patriarcha Constantinopolitanus inauguratus *Nicephorus* die xii. mensis Aprilis anni dcccvi. vestigia decessoris sui *Tarasii* in defensione sacrarum Imaginum pressit, ab ejus tamen communionem *Theodorus Studita* cum alijs Sanctis Monachis se separarunt, eo quod *Nicephorus* adulterium *Constantini* Imperatoris, qui legitima conjuge sua dimissa, cum *Theodote* pellice illicitas nuptias inerat, in Concilio Episcoporum, Constantinopoli congregato, approbare visus esset, & *Josephum* Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Æconomum, hujus illiciti matrimonii copulatorem, restituisset in Sacerdotium, quo *Tarasius* Patriarcha *Nicephori* decessor illum ob eam rem amoverat. Sed in hoc excusandus est *Nicephorus* Patriarcha Constantinopolitanus, quippe qui necessaria indulgentia usus est, & Imperatori *Constantino* resistendum non duxit, ne Religionem Catholicam in discrimen adduceret. Certe, negari non potest, *Tarasium* decessorem *Nicephori* temperamento etiam, & indulgentia usum fuisse in reprobando illicito illo matrimonio, quod *Constantinus* Imperator, legitima repudiata uxore sua, contraxit cum *Theodote* pellice. Quamvis enim *Tarasius* has illicitas nuptias jure merito reprobaverit, se tamen a communionem ejusdem Imperatoris non segregavit. Qua in re *Baronijs* ad annum dcccxcv. eum excusat his verbis: *Gravis angustia premebat animum Patriarchæ, cum vereretur ne nimis exasperando animum Imperatoris, & ab Ecclesia removendo, eum faceret fidei Catholice desertorem. Adhuc regentia Ecclesiæ vulnera, & vix obdulta erant per Concilium ejus opera celebratum Nicææ, adversus Iconomachos. Adhuc vigebant hostes Ecclesiæ: erat ipse adolescens animo mobilis, & instabilis, & hæreticorum mala propago, perfacilisque, ut levi flatu in hæresim præceptis impelleretur: hæc, inquam, & alia hujusmodi alio mentis consilio versans *Tarasius*, sic erroris redarguere voluit Imperatorem, ut tamen eum licet poena illa dignum noluerit ab Ecclesia separare. Sicut igitur *Baronijs* excusat merito *Tarasium*, qui in reprobandis illicitis *Constantini* Imperatoris nuptiis, tempestiva indulgentia, justoque temperamento usus est; sic pari jure excusandus est *Nicephorus* in Sede Constantinopolitana *Tarasii* successor, qui metuens, ne *Constantinus* Imperator Ecclesiam perturbaret, & sus deque verteret, necessario temperamento eum emollire studuit, & *Josephum* adulterinarum licet nuptiarum copulatorem, Presbyteri gradu depositum, in priorem statum restituit. Hunc in modum *Ignatius* Diaconus, deinde *Nicææ* Metropolitanus, Vitæ *Nicephori* Patriarchæ Constantinopolitani Scriptor, eum excusat in narratione de *Theodoro**

Studi-

Studita, quam doctissimus noster *Combesius* accepit a *Leone Allatio*. Novem annos Ecclesiam Constantinopolitanam rexit *Nicephorus*, sed cum sacrarum Imaginum cultum strenue propugnaret, a *Leone Armeno* Imperatore, qui in omnes Imaginum Cultores immaniter sæviebat, in exilium, ann. dcccxcv. ablegatus est, ubi quatuordecim annos cum transegerat, ab hac mortali vita, migravit ad immortalem, anno dcccxcviii. Colitur *Nicephorus* in Mensis Græcorum ad diem secundam mensis Martii, multa que etiamnum extant egregie ab eo edita Opera, quæ in quinto Colloquio recensimus.

Post *Nicephorum* in exilium, jussu *Leonis Armeni* Imperatoris, anno dcccxcv. deportatum, *Theodorus*, dictus *Cassiter*, in Sedem Constantinopolitanam eodem anno intrusus est, qui sacrarum Imaginum Cultores persequutus est, & Iconoclastarum Hæresim, qua erat infectus, impense fovit, obiitque anno dcccxxi. postquam per annos sex Patriarchatum Constantinopolitanum male gessisset. In ejus locum statim Iconoclasta subrogarunt *Antonium* Sylæi Pamphylia Civitatis Metropolitanam, qui *Cassimatus* cognominatus est. Is est ille *Antonius*, cui anno dcccxciv. *Leo Armenus* Imperator Iconoclasta Sedem Patriarchalem Constantinopolitanam promiserat, si suscepti consilii, omnem Imaginum memoriam abolendi, adjutor esse vellet ac promotor. Quod quidem promptissime facturum se cum promississet *Antonius* Sylæi Metropolitanus, & venerandas Imagines Idola esse, sacrilego ore obganiret, Sanctus *Nicephorus* tum temporis Patriarcha Constantinopolitanus, collecta cclxxx. Patrum Synodo, una quoque congregata Sacerdotum, ac Monachorum Urbis Augustæ multitudine, *Antonium* Sylæi Metropolitanam, tamquam Hæreticum, anathemate percussit, & Christi hostem declaravit. Verum, Iconoclastæ post *Theodori* Pseudo-Patriarchæ Constantinopolitani mortem, quæ, ut mox diximus, contigit anno dcccxxi. prædictum *Antonium* Sylæi Metropolitanam eorum Hæresi addictissimum, in illius locum substituerunt. Quam Sedem ab anno dcccxxi. usque ad annum dcccxxxii. quo mortuus est, hoc est per xii. annos intrusus ille Pseudo-Patriarcha *Antonius* occupavit. Huic *Antonio* in Sede Constantinopolitana successit *Joannes*, seu *Jannes* Iconoclasta nequissimus, quem *Symeon* Metaphrastes, dictus *Logotheta*, sic recte depingit: *Homo prestigii, inquit, divinationibus ex pelvi, omnique impietate immanissimus: Et vero idoneum Organum Regiæ impietatis inventus, collata cum eo opera, quæ ad interitum existant, propense omnia excutus est: quem pariturbat (occultabat tamen) impietatis basilicum Imperator (seu *Theophilus* Michaelis filius) edidit, peperitque, promulgato Edicto, quo sacras Imagines aboleri juberet.* In libello Synodico mentio fit Pseudo-Synodi Constantinopoli in *Blachernis*, jubente *Theophilo* Imperatore, ab isto præstigiatore celebratæ: *Theophilus*, sic legitur in eo libello Synodico, *Imperium adeptus, mortuo Antonio, Joannem, qui pel-*

vi inspecta divinare soleret, solio præfecit, & maximam adversus pios persecutionem commovit, ac impiam in Blachernis Synodum congregans, adoratores sacrarum Imaginum anathemati subiecit. At mortuo *Theophilo*, & imperante *Michael* ejus filio, una cum ejus matre *Theodora* religiosissima femina, cum *Joannes* Pseudo-Patriarcha Constantinopolitanus in sua Iconoclastarum Hæresi, obfirmato animo permaneret, e Sede Constantinopolitana, quam invaserat, dejectus, ac relegatus est, ann. dcccxlvi. postquam sedisset annos integros novem ut legitur in continuatione Chronici *Nicephori*. Amoto *Joanne* e Sede Constantinopolitana, in ejus locum inducitur, teste *Constantino* Porphyrogenita, is, qui multis laboribus, atque ærumnis integram ac illibatam virtutem conservaverat, ac ex diuturno, ut par est, carceris pædore, atque fœtore pili defluerant, quantum ei Dei nutu, ac *Theodora* Augustæ assensu Ecclesiæ gubernatio clavusque debebatur, Magnus scilicet invictusque Ecclesiæ defensor *Methodius*. Sub hoc Sanctissimo Patriarcha Constantinopolitano *Methodio*, sacris Imaginibus debita veneratio restituta est, Episcopi, & Monachi, quos *Theophilus* Imperator in exilium miserat, revocati sunt, Ecclesiæ suam ornatum recepit, septem Synodi Æcumenicæ fuerunt approbatæ, & proscripti, toto terrarum Orbe, cuncti Hæretici. Corpus Sancti *Theodori* Studitarum Monasterii præpositi, & sacrarum Imaginum defensoris acerrimi, qui e vita migravit anno dcccxxvi. Constantinopolim transtulit *Methodius* Patriarcha Constantinopolitanus, anno dcccxliv. & anno sequenti, annuente Imperatrice *Theodora*, Corpus S. *Nicephori* olim Patriarchæ Constantinopolitani, qui pro gloriosæ, sinceræque fidei defensione sua Sede depulsus, in exilio obierat anno 828. e tumulo retextit, quod, teste *Theophane*, undeviginti annorum spatio integrum omnino, purumque remanserat, & illud transtulit Constantinopolim in celeberrimum Apostolorum Templum. Denique, postquam S. *Methodius* Ecclesiam Constantinopolitanam per quadriennium optime, sanctissimeque rexisset, ad Deum, sempiterna potiturus pace, abiit anno dcccxlvi. Multa Opera scripsit Sanctus *Methodius*, quæ opportunus in quinto Colloquio referemus, atque juxta Critices artis regulas accurate examinabimus. Defuncto Sancto *Methodio*, successit in Sede Constantinopolitana, Sanctus *Ignatius* Imperatoris *Michaelis* filius, qui fidei sinceritate, ac morum commendatione hanc Sedem maxime illustravit. In *Gregorium* cognomento *Asbestam*, Episcopum Syracusanum, in Sicilia, sententiam tulit in Synodo, quam Constantinopoli celebravit, eumque Episcopatu deposuit, quam depositionem *Benedictus Tertius* Summus Pontifex ratam habuit, & Sancti *Ignatii* sententiam confirmavit. At *Gregorius* ægre admodum ferens, se Episcopali Sede fuisse dejectum, auctoritate *Bardæ* fratris *Theodora* Augustæ fretus, malis artibus effecit, ut Sanctus *Ignatius* e Sede Constantinopolitana extruderetur, & in ejus locum *Photius* substitueretur. Quo pacto autem id acciderit, breviter hic enarrabo. *Bar-*

das frater *Theodore Augustæ*, & avunculus Imperatoris *Michaelis*, æstu ambitionis abreptus, persuasit nepoti suo *Michaeli* Imperatori, ut *Theodoram* Augustam Matrem rerum gubernaculo ablegaret, eamque attonsam Monasterio includeret. Huic tam perverso consilio assentiente Imperatore, tantam ex *Michaelis* recordia fiduciam sumpsit scelestissimus *Bardas*, ut omnem Imperii potestatem in se unum transfunderet, nihilque intentatum relinqueret, quo Sanctum *Ignatium*, quem infensissimo odio prosequeretur, e Solio Patriarchali deturbaret. Porro, duplici potissimum de causa *Bardas* in *S. Ignatium* infensum gerebat animum. Primo, quia a Sanctissimo illo Patriarcha sæpius fuerat admonitus, ut stupri consuetudine, quam cum propria nuru, gravi omnium scandalo, & offensione habebat, tandem aliquando desisteret; seque ad Sacram Synaxim, solemnem Epiphaniarum die accedere ausum; Sanctus *Ignatius* pro pastoralis sui officio palam repulisset, & ad sinceram penitentiam, ob tam enorme crimen, juxta rigorem Canonum peragenda, intrepido animo vehementer fuisset adhortatus. Secundo, quia *S. Ignatius* iussione Imperatoris, qui fusu *Bardæ* ei mandaverat, ut *Theodoram* Augustam attonderet licet invitam, recluderetque Monasterio, exequi, & ut rem profus indignam, iniquam, legibusque Ecclesiæ adversantem, præstare, constanter recusaverat. Hinc *Bardas* vindictæ cupidus occasionem arripuit *S. Ignatium* apud *Michaelem* Imperatorem Majestatis reum postulandi, & ab ipso tandem obtinuit, ut Sanctus *Ignatius* Sede Patriarchali dejectus, in Insulam *Thebeintum* mitteretur in exilium, anno *DCCCLVII*. eoque depulso Patriarcha Sanctissimo, in Sedem Constantinopolitanam intruderetur *Photius* sibi addictissimus.

D. Quis est iste *Photius*, qui pulso *S. Ignatio*, Sedem Constantinopolitanam invasit?

M. Erat *Photius* vir illustribus oriundus natalibus, dignitate Protospatharius, & primus a secretis, ac tanta omnium prope liberalium disciplinarum exoticarum cognitione instructus, ut, teste *Niceta* in Vita Sancti *Ignatii*, omnium ævi sui eruditorum facile princeps haberetur, immo, & cum Veteribus jam certare posset. At, proh dolor! tot ac tam eximias naturæ & artis dotes, improbitas ejus animi, & immensa, qua ferebatur, ambitio, obscurant. *Gregorius* dictus *Asbesta* Syracusanus Episcopus, (qui ab aliquot annis, ut jam observavimus, Episcopali dignitate fuerat, justa de causa, a Sancto *Ignatio* depositus, & cujus nefariis consiliis, teste *Anastasio* Bibliothecario in Historia octavæ Synodi, usus fuerat nequissimus *Bardas* ad exauctorandum Sanctum *Ignatium*) sacris initiavit *Photium*, qui hæcenus laicus dumtaxat fuerat, & primo quidem die, seu xx. mensis Decembris ann. *DCCCLVII*. illum instituit Monachum, altero die ordinavit Lectorem; tertio, Subdiaconum; quarto, Diaconum, quinto, Presbyterum, sexto denique, seu die xxv. Decembris, Natali Christi Domini sacro, inauguravit Episcopum Constantinopolitanum. In

hanc Patriarchalem Sedem intrusus *Photius*, implacabili crudelitate Sanctum *Ignatium* legitimum Patriarcham Sanctitate venerandum & ætate provectum divexavit, atque Ecclesiam Latinam, quæ *S. Ignatii* defensionem suscepit, impudentibus calumniis impetivit, quas inter hæc præcipuæ erant, quod scilicet Latini primam jejunii Quadragesimalis Septimanam a reliquo jejuniio discerperent; quod Sacerdotibus continentiarum jugum imponerent; quod Chrismate inunctos, per Sacerdotes denuo inungere non dubitarent; quod Symbolo fidei processionem Filii a Patre & Spiritu Sancto addidissent. Sed hæc, & alias id genus calumnias, quas *Photius* Ecclesiæ Latinæ importavit, & ob quas Ecclesiam Græcam a Latina separavit, *Baronius* in Annalibus, *Leo Allatus* in lib. de Consensione Ecclesie Orientalis, & Occidentalis, Natalis Alexander in fine partis secundæ Histor. Ecclesiæ. Sæcul. ix. & x. alique doctissimi Viri, egregie confutarunt. Tempore autem Schismatis Photiani causam Ecclesiæ Romanæ, totiusque Ecclesiæ Latinæ, strenue propugnavit, tam illustrissimi Præfules, quam doctissimi Monachi Gallicani, præcipue *Hincmarus* Archiepiscopus Rhemensis, *Odo* Bellocensis Præsul, *Aneas* Episcopus Parisiensis, cujus Opus extat Tomo vii. Spicilegii Dacheriani, & *Ravennus* Cœnobii Corbejenfis Monachus, qui quatuor edidit libros adversus opposita Græcorum, Tomo i. ejusdem Spicilegii Dacheriani insertos. Hæc de *Photio* Sedis Constantinopolitanæ invasore obiter dicta sint, nam de nefario Schismate, quod conflavit, & etiamnum perdurat, commodius agemus in sequenti Colloquio; libros vero, quos edidit *Photius*, referemus in quinto Colloquio, ubi Virorum illustrium, qui nono Ecclesiæ sæculo floruerunt, ad crism revocabimus.

D. Intrusus ille, Schismaticus & Pseudo-Patriarcha *Photius* occupavitne toto vitæ suæ tempore Sedem Constantinopolitanam, quam invaserat?

M. *Basilii* Macedo, jam in societatem Imperii adscitus, postquam occidisset *Michaelen* recedem Imperatorem, qui ei insidias, mortemque machinabatur, sicuti in superiori Colloquio ostendimus, solus Imperio potitus est, cumque esset justitiæ & Religionis amantissimus, *Photium* Sedis Constantinopolitanæ violentum invasorem e Throno Patriarchali deturbatum, in Cœnobium depulit, anno *DCCCLVII*. & Sanctum *Ignatium* Sedi suæ restituit. Quem reducem ab exilio Sanctissimum Patriarcham totus Ordo Patricius occurrens excepit, & freuens, lætitiæque gestiens populus veneratus, atque in templum triumphali apparatu, & saustis acclamationibus prosecutus est. Circa hanc *Photii* depositionem a *Basilio* Imperatore factam, jure merito *Baronius* mendacii redarguit *Zonaram* Scriptorem Græcum, qui *Photium* a *Basilio* Imperatore depositum esse scribit, quod ob necem, quam intulerat *Michaeli* Imperatori, ab Ecclesiæ communione fuisset ab eo separatus. Hoc quippe putidum Schismaticorum commentum est, quod non solum evertit *Nicetas* in vita Sancti *Ignati*

Ignatii, sed etiam *Basilii* Imperatoris ad *Nicolaum I.* Summum Pontificem Epistola Actioni III. Synodi octavæ inserta, & Epistola *Hadriani* Secundi Papæ, ad *Basilium* Imperatorem. Nulla ergo hac in re fides habenda est *Zonare*, & aliis, qui eum præcesserunt Scriptoribus Græcis, *Leoni Grammatico*, *Simeoni Logotheta*, & *Georgio Monacho*, qui eandem fabulam venditarunt, maxime cum nihil simile referat *Constantinus Porphyrogenetus* Scriptor Græcus laudatus mox Historicis antiquior. Sanctus *Ignatius* suæ Sedi restitutus interfuit Concilio Generali octavo Constantinopoli anno *DCCCLXIX*. celebrato, sub *Hadriano Secundo* Summo Pontifice, & *Basilio* Imperatore, in quo Patres Spiritus Sancti, quo erant congregati, lumine plenissime affusi, in *Photium* Schismaticum anathema pronunciarunt, *Ignatium* vero legitimum Patriarcham agnoverunt & declararunt, atque sententias a Summis Pontificibus *Nicolao Primo*, & *Hadriano Secundo*, in Conciliis Romæ celebratis, in *Photium* latas approbarunt, sicut data opera ostendemus in Colloquio quarto, ubi agemus de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo fuerunt convocata. Ecclesiam Constantinopolitanam sanctissime rexit *Ignatius* usque ad annum *DCCCLXXVII*. quo anno migravit ad Dominum, die xxiii. mensis Octobris, annos natus octoginta, sicut testatur *Nicetas*, qui Sancti illius Patriarchæ vitam descripsit.

D. Quem Successorem in Sede Constantinopolitana habuit *S. Ignatius*?

M. Post mortem *S. Ignatii Basilii* Imperator *Photium* in Patriarchatum Constantinopolitanum restituit, misitque ad Joannem VIII. Summum Pontificem legationem, qua *Photium* in Sedis Apostolicæ communionem suscipi, & in Patriarchali Constantinopolitana Sede confirmari postulavit. Obtinere præter omnem spem Legati *Basilii*, quæ pro *Photio* a Joanne Octavo petierunt, indeque *Baronius*, ut jam observavimus, arbitratus est, Joannem Octavam Pontificem Romanum ob nimiam facilitatem & in restituendo *Photio* pusillanimitatem, *Papissam*, contumeliæ loco, dictum fuisse, sicque locum dedisse de *Joanna Papissa* fabulæ, quæ postea omnium sermone celebrata est. *Photius* Patriarchatu Constantinopolitano potitus est usque ad mortem *Basilii* Imperatoris, quæ contigit anno *DCCCLXXXVI*. At mortuo *Basilio*, iterum *Photius* a *Leone* Imperatore, *Basilii* filio, qui vulgo *Sapiens* cognominabatur, Sede Constantinopolitana dejectus, & in exilium ablegatus est, quo in secundo exilio vixit *Photius* ad annum usque *DCCCXI*. quo e vivis excessit. Variam *Photius*, dum viveret, fortunam expertus est, & de eo jure merito dici potest id, quod Sanctus Hieronymus ait de Origene: ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejor.

D. Alios percenset Patriarchas, qui, post depositum *Photium* a *Leone* Imperatore, anno octingentesimo octogesimo sexto Sedem Constantinopolitanam sub sinem noni Ecclesiæ sæculi tenuerunt.

M. *Leo* Imperator *Stephanum* fratrem suum, virum omni virtutis laude conspicuum, in locum *Photii* Sede Constantinopolitana dejecti, & in exilium missi, subrogavit, anno *DCCCLXXXVI*. Quam Regiæ Urbis Sedem *Stephanus* sanctissime tenuit annos sex, & menses quinque, sicut testatur *Leo Grammaticus*, Continuator Anonymus *Theophanis*, *Simeon Logotheta*, & *Georgius Monachus*. Quapropter, *Stephanus* Patriarcha Constantinopolitanus obiit anno *DCCCXIII*. Extat in Actis Bollandianis, ad diem xvii. mensis Maji, Sancti *Stephani* Patriarchæ Constantinopolitani Encomium, ex Menologio *Basilii Porphyrogeneti*, & ex variis Fastis MSS. Græcorum, qua die apud Græcos Sanctus ille Patriarcha colitur. *Stephano* in Sede Constantinopolitana successit *Antonius* sanctitate insignis, cognomento *Caulea*, qui in juvenili ætate Monachus factus, dein Sacerdos, ac sui Monasterii Abbas, tandem ætate jam provectus, ad Patriarchatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuit evectus, seditque annos duos, ut videre est in Serie Patriarcharum Constantinopolitanorum in corpore juris intexta; obiit itaque Sanctus ille Patriarcha anno octingentesimo, nonagesimo quinto, & colitur tam a Latinis, quam a Græcis die xii. mensis Februarii, qua in Actis Sanctorum Bollandianis refertur *Oratio Nicephori Philosophi* in hujus Sancti Patriarchæ laudem, in qua ob egregias ejus virtutes, præsertim liberalitatem in pauperes, valde celebratur: Nolebat, inquit *Nicephorus*, una Civitate, etiam tam magna, suam circumscribi commiserationem, sed ad quantum Sol auspiciat, eam contendeat extendere: hinc manus scatenitis misericordia participes erant Scythæ, & Thraces, & cum aliis Myri quoque, qui sunt in Asia. Sancto *Antonio*, qui *Caulea* appellabatur, successit anno octingentesimo nonagesimo quinto Sanctus *Nicolaus* dictus *Mysticus*, qui Ecclesiam Constantinopolitanam sanctissime gubernavit usque ad annum nongentesimum vigesimum quintum, quo ad Cælestem Patriam migravit. Sed de hoc Patriarcha Constantinopolitano iterum redibit sermo in nostris Colloquiis in Historiam decimi Ecclesiæ sæculi. (a) Hic tantum velim obiter observes, hunc Sanctum Patriarcham fuisse *Mysticum* appellatum ab Officio, quo Constantinopoli functus est in Palatio Imperatoris. Advertit siquidem *Codinus* in libro de Officiis & Officialibus Curie & Ecclesie Constantinopolitane, inter Officialia Palatii Constantinopolitani unum fuisse, qui *Mysticus* dicebatur, quique erat secretioris Consistorii secreti Regius, ac primus Minister, ad quem multæ causæ, præcipue de Homicidiis, & sacrilegiis deferbantur. Eo itaque munere in Palatio Imperatoris Sanctus *Nicolaus* dictus *Mysticus* Patriarcha Constantinopolitanus integerrime functus est, ejusque nomen inscriptum est in Menæis Græcorum, apud Bollandum ad diem xv. mensis Maji relatis. Sed hæc de Serie Episcoporum, qui nono Ecclesiæ sæculo Sedes Romanam, & Constantinopolitanam tenuerunt, dicta sufficient.

(a) Tribus hisce postremis Constantinopolitanis
„ Pa-

„ Patriarchis Stephano, Antonio & Nicolao quot-
 „ annis fausta olim Græci apprecabantur in do-
 „ minica Orthodoxiæ, nempe secunda Quadrage-
 „ simæ, ut constat ex Epistola inscripta: *Episto-
 „ la Sanctæ Ecumenicæ Nicenæ Synodi*, quæ ca-
 „ die publice legebatur.

COLLOQUIUM III.

*De Gravibus Controversiis, quæ nono sæculo Eccle-
 siam perturbarunt.*

QUINQUE potissimum nono Ecclesiæ sæcu-
 lo graves obortæ sunt Controversiæ,
 quarum prima spectat Augustissimum Eucharistiæ
 Sacramentum. Altera excitata fuit occasione do-
 ctriinæ *Gottschalci* Monachi Cœnobii Orbacensis,
 Diœcesis Sueffionensis, in Galliis, circa geminam
 prædestinationem, liberum hominis arbitrium,
 divinam voluntatem salvandi omnes homines,
 ac pretium Sanguinis, quem pro hominum salu-
 te, in ara Crucis effudit Christus Dominus; quæ
 quidem Controversia per se satis implexa, valde-
 que abstrusa, diu multumque Ecclesiæ, nono
 sæculo sollicitavit. Tertia Controversia originem
 habuit ex modo, quo Christus Dominus e Maria
 Virgine processit. Qua de re libri ultro citro-
 que conscripti sunt a *Paschasio Rabberto*, &
Ratramno. Quartæ Controversiæ locum dedit fu-
 nestum Græcorum dissidium, seu nefarium Schisma,
 quo ab Ecclesia Romana, instigante *Photio*
 Pseudo-Patriarcha Constantinopolitano, Græci se
 separarunt: de quo Schismate etiamnum ingem-
 scimus. Postrema Controversia enata est circa
 cultum, qui sacris Imaginibus deferri debet;
 quæ Controversia nono Ecclesiæ sæculo maxime
 viguit in Galliis, & magno animorum æstu fuit
 agitata. De quatuor prioribus Controversiis, da-
 ta opera in hoc Colloquio differemus; quintam
 vero Controversiam, quæ pertinet ad Cultum I-
 maginum, ne longius protrahatur istud Collo-
 quium, consulto remittimus ad proximum, quod
 crastina luce habebimus, Colloquium, ubi agen-
 do de Conciliis, quæ nono Ecclesiæ sæculo fue-
 runt celebrata, opportuna sese offeret occasio tra-
 ctandi de Synodo Parisiensi, in qua de Cultu I-
 maginibus exhibendo actum est, ibidemque hanc
 de Cultu Imaginum Controversiam maturo exa-
 mine discutimus, & doctrinam, quam nono sæ-
 culo Ecclesia Gallicana circa Cultum Imaginum
 propugnabat, explanabimus.

D. Incipiamus, quæso, a Controversia, quæ
 spectabat Augustissimum Eucharistiæ Sacramen-
 tum, deinde ad alias disceptationes, de quibus
 in hoc Colloquio pertractandi provinciam sus-
 cepisti, recto ordine progrediemur.

M. Controversiæ, quæ circa Sacro-Sanctum Eu-
 charistiæ Sacramentum, nono Ecclesiæ sæculo emer-
 sit, origo nata videtur ex *Paschasio Rabberto*, Ab-
 batis Monasterii Corbejensis libro, quem de *Cor-
 pore & Sanguine Domini* eodem sæculo composuit,
 in quo dogma de reali præsentia Corporis, & San-
 guinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & de

transubstantiatione tam clare exponit, ac defen-
 dit, ut Ecclesia Romana *Paschasium Rabbertum*
 velut Apostolicæ traditionis, hac in doctrina fi-
 dum interpretem & egregium propugnatorem et-
 iamnum agnoscat. At ex adverso Hæretici nostri
 temporis præsentia realis Corporis Christi in Eu-
 charistiæ Sacramento, & transubstantiationis dog-
 matis ofores, eundem Paschasium ut novatorem
 habent, & tanquam realis Corporis, & Sanguinis
 Christi in Eucharistiæ præsentia, (a) necnon
 Transubstantiationis Auctorem inventoremque
 injuriis laceffunt, eique varios adversarios ejusdem
 sæculi noni, & decimi opponunt, quo probent,
 eum contra fidem antiquitus receptam invexisse
 novam doctrinam, cui liberis edictis nono sæculo
 resistere Anonymus quidam Scriptor, *Amala-
 rius, Rabanus & Ratramnus*, sub finem vero
 decimi sæculi *Herigerus* Abbas Monasterii Laubien-
 sis, quos Scriptores Catholica Ecclesia semper in
 honore habuit. Non agemus in hoc Colloquio
 de libro, quem edidit *Paschasius Rabbertus*,
 quique inscribitur: *De Corpore & Sanguine Do-
 mini*, quia in quinto Colloquio, ubi referemus
 Opera Virorum illustrium, qui nono Ecclesiæ sæ-
 culo floruerunt, de prædicto *Paschasio* libro no-
 strum feremus judicium, & eadem opera revin-
 cemus temeritatem Hæreticorum, quos asserere
 non pudet, *Paschasium* in propugnando dog-
 mate de reali præsentia Corporis Christi in Eu-
 charistiæ, & de Transubstantiatione novatorem
 fuisse, qui antiquam fidem ac traditionem (quam
 Hæretici, si superis placent, se conservasse obgan-
 niunt) novis commentis infecit, ut realis præsen-
 tiæ, atque transubstantiationis doctrinam equali-
 bus, ac posteris suis propinaret. Remisso itaque
Paschasio libri examine ad Colloquium quintum,
 hic tantum breviter, quoad ejus fieri poterit,
 explicabimus, in quo sita esset Controversia, quæ
 nono Ecclesiæ sæculo *Paschasium* inter & alios
 ejusdem sæculi mox laudatos Catholicos Scripto-
 res circa Eucharistiæ Sacramentum suborta est.
 Asserunt Hæretici perfriatæ frontis audacia, hanc
 Controversiam in eo positam fuisse, quod *Pa-
 schasius* præsentia realis, & transubstantiationis
 doctrinam nuper a se excogitatam mordicus propu-
 gnaret, ejus vero adversarii mox citati avitæ
 fidei tenaces veram, & realem Corporis,
 & Sanguinis Christi in Eucharistiæ præsen-
 tiam, necnon transubstantiationis dogma totis
 viribus impugnant, & aperte irent inficias.
 Verum, rem aliter se habere, & Hæreticos
 turpiter hallucinari, proclive est demonstrare.
 Status quippe Controversiæ *Paschasio*, ejusque
 adversariorum disceptantium non in hoc versaba-
 tur, an Corpus Christi esset vere & realiter præ-
 sens in Eucharistiæ Sacramento, nec ne? sicut com-
 muniuntur Hæretici; sed in hoc totius contro-
 versiæ Cardoolvebatur, an Corpus Christi in
 Eucharistiæ esset illud idem Corpus, quod natum
 est ex Maria Virgine? *Paschasius* siquidem in suo
 libro de *Corpore & Sanguine Domini* non solum
 luculenter adstruebat præsentia realis Corporis
 Christi in Eucharistiæ Sacramento, & transub-
 stantiationis dogma, sed etiam diserte docebat,
 Corpus

Corpus Christi in Eucharistiæ existens, idem esse,
 quod ex Maria Virgine natum & in cruce passum
 est. Quantum ad primum doctrinæ Caput, quod
 præsentia realis, & transubstantiationis dogma
 spectabat, nullum omnino adversarium nactus est
Paschasius, quia omnes ad unum Catholici profi-
 tebantur, verum Christi Domini Corpus, verum-
 que Sanguinem revera existere in Eucharistiæ Sa-
 cramento, itemque panem & vinum in illa con-
 verti. Id solum nonnulli Catholici in libro *Pa-
 schasio* reprehensione, ac censura dignum esse exi-
 stimarunt, quod diceret, Corpus Christi in Eu-
 charistiæ existens, idem esse Corpus, quod ex Maria
 Virgine natum, & in cruce mortuum est, eamque
 sententiam tuetur *Paschasius*, ex testimonio S.
 Ambrosii, deprompto ex capite nono, lib. de *My-
 steriis*. Id, inquam, negarunt *Paschasio* adversa-
 rii, videlicet Anonymus Scriptor, *Rabanus, Amala-
 rius, Ratramnus*, Viri noni sæculi haud incele-
 bres, qui hujus sententiæ novitate, ut ipsis vide-
 batur, perculsi, hanc *Paschasio* sententiam, scriptis
 editis, acriter insectati sunt. Hunc verum fuisse
 illius Controversiæ fatum, ex eo maxime liquet,
 quod mox citati adversarii *Paschasio*, in dogmate
 de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistiæ
 Sacramento, & de transubstantiatione cum *Pa-
 schasio* conveniebant, & in hoc tantum ab eo dissi-
 debant, quod vellent, Corpus Christi in Eucha-
 ristiæ existens, non esse idem Corpus, quod ex
 Maria Virgine natum, & in cruce passum est,
 sicut affirmabat *Paschasius*. Horumce Scriptorum
 testimonia, quæ rem plane conficiunt, hic in me-
 dium proferre haud pigebit. In primis Anony-
 mus, qui contra *Paschasium* scripsit, & cujus li-
 bellum in Codice Gemblacensi cum *Herigeri* Ab-
 batis Laubiensis in Opusculo invenit, & ad cal-
 cem part. II. sæculi IV. Benedictini edidit *Ma-
 billonius*, sub hoc titulo: *Dicta cujusdam Sapien-
 tis de Corpore, & Sanguine Domini, adversus Ra-
 berrum*. Hic, inquam, Anonymus confutationem
 suam a Confessione Fidei Catholice auspiciatur,
 his verbis: *Quod Corpus & Sanguis Domini vera
 sit caro, verusque sanguis, unusquisque debet crede-
 re, nosse, tenere, confiteri, pariter & incunctan-
 ter asserere fidelis. Prorsus quisquis hoc negat, esse
 cognoscitur, & convincitur infidelis. . . . hoc ergo
 profecto fidelissime confirmo, & addo, quod si-
 cut veritas est Christus, & verus Agnus Dei, qui
 quotidie pro vita mundi mystice immolatur: ita
 procul dubio, ex pane vera caro, & ex vino verus
 Sanguis ejus, consecratione Spiritus Sancti po-
 tentialiter creatur. Certe, nemo est, qui non vi-
 deat, hanc Anonymi Scriptoris fidei Confessio-
 nem, esse Catholicam, nec magis diserte ullum
 Catholicum suam, de reali præsentia Corporis
 Christi in Eucharistiæ, & de transubstantiatione,
 fidem exprimeret posse. Hac autem præmissa Ca-
 tholica Confessione, in hoc dumtaxat *Paschasium*
 carpit idem Anonymus Scriptor, quod putet,
Paschasium rem profus inauditam asseruisse, nempe,
 non aliam esse carnem in Sacramento Eucha-
 ristiæ, quam quæ nata est ex Virgine Maria:
 illud, inquit, in eo libro, seu *Paschasio*, mihi
 prorsus inauditum fateor reperiri, sub nomine S.*

Ambrosii, quod non sit alia Caro Christi, quam quæ
 nata est de Maria, & passa in cruce, & resurrexit
 de Sepulchro. Hæc inquit, idest *Paschasius*, & ipsa
 est, & ideo Christi est caro, quæ pro mundi vita
 hodie offertur, Hoc in Capitulo libri *Paschasio* po-
 situm est secundo. Similiter dicitur & in octavo
 ejusdem libri *Paschasio* Capite, vere credo, &
 hoc, quod conficitur in verbo Christi per Spiritum
 Sanctum, corpus ipsius esse ex Virgine. Istud plane
 fateor, nunquam me prius audisse, vidisse, legisse.
 Viden hunc Anonymum Scriptorem, qui contra
Paschasium scripsit, nullam de reali Corporis &
 Sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento præ-
 sentia, cum *Paschasio* litem movisse, sed in hoc
 tantum *Paschasium* reprehendisse, quod diceret,
 Corpus Christi in Eucharistiæ existens, idem Cor-
 pus esse, quod ex Maria Virgine natum est? Si-
 militer *Rabanus* Archiepiscopus Moguntinus, al-
 ter *Paschasio* adversarius, in doctrina de reali
 præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in Eu-
 charistiæ, & de transubstantiatione, cum *Pa-
 schasio* plane consentiebat, ut præsertim videre est
 cap. 10. lib. 7. de sacris Ordinibus ad *Therema-
 tum*, ubi *Rabanus* hæc habet: *Quis unquam cre-
 deret, quod panis in carnem potuisset converti, vel
 vinum in sanguinem, nisi ipse Salvator diceret, qui
 panem, & vinum creavit, & omnia ex nihilo fe-
 cit? facilius est aliquid ex alio facere, quam omnia
 ex nihilo creare.* Qui amabo, clarius ad profiten-
 dam de reali Corporis, & Sanguinis Christi in
 Eucharistiæ Sacramento, præsentia, & de transub-
 stantiatione fidem eo Rabani testimonio adduci
 potest? nullum ergo *Paschasio*, circa dogma de
 reali præsentia Corporis, & Sanguinis Christi in
 Eucharistiæ negotium faceffivit *Rabanus*, sed illum
 dumtaxat impugnavit, quantum ad hunc loquen-
 di modum, qui novus ipsi visus est, quo *Pas-
 chasius* assererat, Corpus Christi in Eucharistiæ con-
 tentum, idem esse, quod natum est ex Virgine,
 & in cruce passum. Hunc, inquam, *Paschasio* lo-
 quendi modum sibi non probari testatur *Rabanus*
 in Epistola ad *Heribaldum*, ubi hæc habet: *Quidam
 nuper de ipso Sacramento Corporis, & Sanguinis
 Domini, non rite sentientes dixerunt, hoc ipsum
 Corpus, & Sanguinem Domini, quod de Ma-
 ria Virgine natum est, & in quo ipse Dominus pas-
 sus est in cruce, & resurrexit de sepulchro, idem
 esse, quod sumitur de altari. Cui errori, quantum
 potuimus, ad Egilum Abbatem scribentes, de Cor-
 pore ipso quid vere credendum sit, aperuimus.*
 Quibus verbis diserte significat *Rabanus*, se impu-
 gnandum dumtaxat suscepisse certum quemdam
 loquendi modum, quo *Paschasius* assererat, Cor-
 pus Christi existens in Eucharistiæ Sacramento,
 idem esse, quod natum ex Virgine & in cruce
 passum. Denique, quod *Amalarium* Presbyterum
 Metensem, & *Ratramnum* Monachum Cor-
 bejensem attinet, asserere nullus dubito; illos per-
 peram ab Hæreticis inter impugnatores præsen-
 tiæ realis Corporis, & Sanguinis Christi in Eu-
 charistiæ Sacramento connumerari. *Amalarium*
 siquidem lib. 3. de Ecclesiasticis Officiis capit.
 xxiv. tam clare profitetur, se credere præsentiam
 realem Corporis, & Sanguinis Christi in Eucha-
 risti-